

timorem Dei, quanto majorem habet linguarum originalium Grammaticæ, Rhetoricæ, Logicæ, Philosophiæ, Historiarum, & antiquitatis præsertim ecclesiasticæ notitiam, quanto plus pollet ingenio, judicio, memoria, simplici & in affectata eloquentia, studio & diligentia, & quanto sensus habet in Scriptura exercitiores; tanto esse aptiorem meliorem & feliciorum Scripturæ Interpretem.

Hæc est summa doctrinæ Reformatarum Ecclesiarum, de S. Scripturæ interpretatione, quæ non solum apud particulares earum Doctores invenitur; sed etiam *Confessionis Helveticæ*, quæ, ex omnibus Reformatorum Confessionibus, latissimè patet, *capite primo & secundo* expressa est. Ubi maximè notabilia sunt hæc *capite secundo* verba: Illam duntaxat Scripturarum interpretationem pro orthodoxa & genuina agnoscimus, quæ ex ipsis est petita Scripturis (ex ingenio utique ejus linguæ, in qua sunt scriptæ, secundum circumstantias itæ expensæ, & pro ratione locorum vel similium vel dissimilium, pluriù quoque clariorum, expositæ) cum regula fidei & charitatis congruit & ad gloriam Dei hominumq; salutem eximiè facit. Et rursus illa: Ergo non alium sustinemus in causa fidei Judicem, quam ipsum Deum per Scripturas sanctas pronuntiantem, quid verum sit, quid falsum, quid sequendum, quidve fugiendum. Ita judiciis non nisi spiritualium hominum, ex verbo Dei petitis, acquiescimus.

Eandem doctrinam etiam compendiosè exprimit *Confessio fidei Britannica* anno 1647. in conventu Theologorum scripta à Parlamento Britannico & ab Ecclesia Scotiana cognita & approbata, *cap. primo* cujus §. 6. ita habet: Consilium Dei universum, de omnibus, quæ ad suam ipsius gloriam, quæque ad hominum salutem, fidem vitamque sunt necessaria, aut expressè in Scriptura continetur, aut consequentiâ bonâ & necessariâ derivari potest à Scriptura; cui nihil deinceps addendum est, seu novis à spiritu revelationibus sive traditionibus hominum (2. *Tim.* 3. 15. 16. 17. *Gal.* 1. 8. 9. 2. *Thess.* 2. 2.) Internam nihilominus illuminationem Spiritus Dei, ad salutarem eorù perceptionem, quæ in verbo Dei revelantur, agnoscimus esse necessariam (1. *Joh.* 6. 45. 1. *Cor.* 2. 9. 10. 12.) Item §. 9. Infallibilis Scripturam interpretandi regula est Scriptura ipsa. Quoties igitur cunq; oritur quæstio, de vero plenoque Scripturæ cuiusvis sensu (unicus ille est, non multiplex) ex aliis locis, qui apertius loquuntur, est indagandus & cognoscendus (2. *Pet.* 1. 20. 21. *Act.* 15. 15. 16.) Et §. 10. Supremus Judex, a quo omnes de Religione controversiæ sunt determinandæ, omnia Conciliorum decreta, opiniones scriptorum veterum, doctrinæ denique hominum & privati quicunq; spiritus sunt examinandi, cujusq; sententia tenemur acquiescere, nullus alius esse potest, præter Spiritum sanctum in Scriptura pronuntiantem (1. *Matth.* 22. 29. 31. *Eph.* 2. 20. cum *Act.* 28. 25.)